

nīs grassantibus in eodem genere criminis ageretur, sed de uno pluries crimen patrans, licet ex incorrigibilitate gravius puniti debuit, citra mortem tamen, ita ut exemplum alios deterret, & ipse ab acerbitate mortis liberaretur, & ipse ab acerbitate mortis liberaretur, fallitates de quibus accusabatur, non erant re, & tempore distincta; sed circa eandem rem, & tempore continuato; ita ut clarè appareret unicum, & idem crimen in effectu ex omnibus resultare, unica tantum pœna puniendum, licet ex iteratione graviore, ut ex dictis respectu furti resultat. Et quod magis urgebat; ista fallitates non fuerunt facta per publicum Tabellionem, vel in forma publici instrumenti: quo in casu plures tenuerunt pœna capitali eum plecendum, ut cum Luca de Penna, & Claro & Petro Gregorio tradit Fatinaeus *questione 155. numero 1.* sed per privatum, qui privatos chirographos immutaverat, ob quod arbitrium omni jure concessum in crimine falsi, temperandum erat juxta personarum, & facti qualitates.

32 Ex quibus manifestè responsum datur ad ea quæ contra reum allegabantur; nam, ut dixi *numero 19. & 25.* regula de tribus furtis puniendis pœna capitali, procedit ex consuetudine quæ non extenditur ad ea quæ propriè furti non sunt; & requirit quod sint re, & tempore distincta. Et falsi crimen arbitriè punitur, nisi falsitas adèd gravis sit, ut proportionem cum vita hominis contineat, quod non apparebat in nostra specie, & sic reus extra ordinem fuit punitus, pœna fustigationis quam meruerat, in tritemium commutando, juxta Text. in *leg. 8. titulo 11. libro 8. recopilationis.* De qua latè per Azavedum, & Gutierrez ubi proximè.

CONTROVERSIA XXXVIII.

De publico Tabellione, sive Actuario causarum civilium, mandata iudicis falsò supponente, vel fabricante ad interceptandum pecunias judicialiter depositas.

SUMMARIUM.

1 Facti species proponitur.

- 2 Dna. quæstiones disputanda designantur.
- 3 Prætoris litteras falsas fabricans, vel eis utens pœna legis Cornelia tenetur.
- 4 Actio in factum pœnalis, cumulat in hoc crimine cum pœna legis Cornelia.
- 5 Pœna legis Cornelia tanquam arbitraria quandoque augetur, & quandoque minuitur.
- 6 Iudicis decreta falsò conficiens, acerbius puniri debet.
- 7 Severitas major in nostris terminis solùm verificari potest in pœna capitali.
- 8 Jure Digestorum iudicis acta falsò conficiens, aqua & igni interdicitur.
- 9 Falsi crimen ex se capitale est.
- 10 Suppositi partus crimen falsi est, & pœna mortis punitur.
- 11 Magnitudo falsi pœna ultimi supplicii punitur.
- 12 Falsa moneta facinus, eadem pœna plecitur.
- 13 Immunitatis concessæ falsè attestatio pari pœna persequitur.
- 14 Tabellio publicus falsa instrumenta conficiens capite punitur.
- 15 De jure Hispano acta liti falsificans in causa gravi, pœna mortis punitur.
- 16 Pœna arbitraria à jure imposta in crimine falsi, de jure Hispano aggravatur usque ad mortem in Tabellione acta iudicis falsificante in lite gravi.
- 17 Actuarius, sive Tabellio Regiæ Curia in crimine falsi pœna capitali plecendus.
- 18 Delictum in officio gravius puniendum est.
- 19 Furtum magni valoris, capitalis pœna animadversionem exigit.
- 20 Furtum verè committit, qui falsis documentis pecunias alienas exigit, & in suos usus convertit.
- 21 Furtum æquivalens tribus furtis, pœna capitali plecitur.
- 22 Furtum an sit magnum, remittitur arbitrio Iudicis.
- 23 Leg. qui nomine 25. §. ad leg. Corncl. de fals. expenditur.
- 24 Leg. majorem, Cod. cod. declaratur.
- 25 Rescriptum quid sit.
- 26 Leg. final. tit. 19. part. 5. explicatur.
- 27 Falsa rescripta Principis conficiens, capitali animadversione dignus est.
- 28 Tabellio acta iudicis falsificans, extra ordinem puniendus.

29 Le

- 29 Leges Partitarum posteriores sunt legibus contentis in foro legum.
- 30 Leges posteriores derogant prioribus.
- 31 Pœna amputationis manus, tanquam inhumana commutari solet.
- 32 Pœna extraordinaria vunitur Tabellio apud plures gentes in crimine falsi.
- 33 Falsi crimen capitale, in aliquibus casibus non remanet capitale.
- 34 Pœna falsi ordinaria mitior capitali est tam de jure communi, quam Hispano.
- 35 Aggravantes qualitates augent pœnam, sed non usque ad capitalem.
- 36 Salernitani decisio 27. communiter reprobat.
- 37 Dignitatis privilegium amittitur in crimine falsi.
- 38 Idem procedit in crimine perjurii.
- 39 Nobiles, & in dignitate constituti torquentur in crimine falsi.
- 40 L. 4. tit. 30. part. 7. expenditur.
- 41 Janitores Regiæ, & Regiæ in aliquali dignitate, seu potius officio honorifico constituntur.
- 42 Decisio Aula.

IN officio Joannis Perales Tabellionis publici, sive de numero hujus urbis, causa concussus creditorum disceptabatur, & cum bona communis debitoris sub hasta vendita fuissent, & pretium auctoritate Iudicis depositum, iste reus mandata Iudicis falsò conficiendo universam depositi pecuniam exegit atque in suos usus consumpsit: quo patrato liberationem judicalem dolo malo à Iudice exortam Depositario tradidit, mandata Iudicis recuperando, & comburendo, itaut amplius inventi non possent. Actis concussus inspectis ex pecunia deposita summa ingens deficiebat, triginta millium regaliorum moneta exorsæ excedens, quæ neque creditoribus soluta erat, neque in deposito reperiebatur. Constabat namque hanc quantitatem Tabellionem diversis diebus recepisse sub prætextu tradendi creditoribus, ad quorum favorem mandata falsa conficiebat. Captus, & interrogatus, de his negare non potuit pecunias recepisse; mandata in forma solemnem expedita negavit, sed traditionem quorundam chirographorum à se confectorum; ac tandem liberationem à Iudice verè provisam, ex falsa relatione ipsius confessus fuit. Dubitatum fuit

in Aula, qua pœna veniret plecendus.

Et omiſſa disputatione an ex hoc factis plura delicta resultarent, an unum qualificatum ex reiteratione falsi, & contrectationis, de qua latè discussimus in controversia præcedenti. Duo dubia in præſenti definienda videbantur. Primum an ex eo quod falsitas facta fuit per publicum Tabellionem circa acta iudicis, pœna aggravanda esset usque ad mortem. Secundum an ex eo quod reus in famulatu Regiæ Dominæ nostræ serviret; janitor quippe portæ exterioris vulgò *Uxier de Saleta* erat, ab ignominiosa pœna eximeretur.

Quoad primum, exacerbandam pœnam videbatur, quia in primis dubitari non poterat pœna legis Corneliæ de falsis teneri, ut probat Textus in *leg. qui nomine 25. ff. eodem titulo. ibi: Qui nomine Prætoris litteras falsas reddidisse, editumve falsum proposuisse dicitur ex causa actione in factum pœnali tenetur, quamquam lege Cornelia reus sit.* Omiſſa namque actione in factum pœnali, quam pettinere ad hos quorum interest, ut rem recuperent, vel damnum reficiant, est compertum, ut probat Textus in *lege nec quidquam 56. ff. pro socio*, ut notat Accursus in *dicta lege qui nomine*, ubi etiam Bartolus, & Jason in §. *item si quis*, numero 59. & in §. *quod amplius*, num. 13. in *tit. de action.* Dum reus legis Corneliæ habetur, ejusdem pœna teneri est compertum; sic docet Textus in *capite olim. 25. de rescript.* probant Guido Papæ, *decisione 455. numero 1.* Boërius *decisione 82. numero 4.* Petrus Gregorius *synagm. lib. 36. capite 5. numero 8.* Barbosa in *collectan. dicto capite olim*, numero *fin.* & Carpovius in *pract. crimin. parte 2. quæstione 93. numero 62.* ex nostratibus Bernard. Diaz in *prax. can. capite 108. numero 1.* ubi Salcedo, dominus Gregorius Lopez in *leg. 6. titulo 7. parte 7. glos. 8.* Didacus Petæ in *leg. 22. titulo 19. libro 8. Ordin. verb. Archiepiscopo*; & Vela de *delict. 1. part. capite 10. numero 9.* apud quos plures reperies, qui tradunt hac pœna legis Corneliæ teneri fabricantem falsò acta iudicis. Sed cum pœna dictæ legis Corneliæ arbitraria sit, ut dixi *controversia præcedenti, numero 10.* itaut quandoque major, quandoque minor imponatur, juxta factorum diversitatem, ut notat Gloss. in *leg. 1. §. Bb 4 fin.*

fin. ff. eod. quod comprobatur, Textus in leg. eos §. qui se pro milite, ff. eod. l. i. leg. ubi falsi 22. Cod. eod. & tradit Carpovius dicta questione 93. numero 20. Inquirendum est, an ex eo quod Judicis decreta, vel acta iudicii falsò fabricantur, vel falsis relationibus extorquentur, acerbius puniri debeant? Et quod sic de jure cautum reperitur, probare videtur Textus in leg. 4. Cod. eod. titulo, ibi: *Majorem severitatem exigit, ut merita eorum qui falsis rescriptionibus utuntur, digna coercantur pœna.* Quo loci majoris severitatis significacione capitalem pœnam intelligere debemus ex proprietate Latini sermonis, ut colligitur ex Valerio Maximo lib. 4. factorum memorabil. capite 4. Nam quoties severitatis dictione utitur, de capitali pœna loquitur, imposita, vel imponenda. Sic dum de pastore cruci affixo, quia venabulo interdico aprum eximia magnitudinis confectum invenisset Lucius Domitius Prætor Siciliæ, ait: *Sic se in viris puniendis severitas exercuit.* Pariter de uxoribus Albini Consulis, & Claudii APELLI, strangulatis, ob veneni propinationem, ibi: *Non enim putaverunt severissimi viri in tam evidenti scelere longum publicæ questionis tempus expectandum.* Julius Cesar. de bello Gallico libro 7. ibi: *Summa diligentia summam imperii severitatem addit: magnitudine supplicii dubitantes cogit.* Nam majore commisso delicto igni atque omnibus tormentis necat: *leviore de causa auribus desectis, aut singulis effusis oculis domum remittit.* Titus Livius, dum de Manlii in filium animadversione tractavit lib. 8. decad. 1. sic inquit: *In ultimo etiam certamine cum descensum in acie est, ea severitas profuit, fuit enim civili maxime bello pugna similis.* Neque obest ratio legalis; nam de jure Digestorum crimen falsi in actis iudicii patrans, aqua, & igne interdicebantur, ut docet Modestinus in leg. fin. ff. ad legem Corneliam de falsi. ibi: *Si quis falsis constitutionibus nullo auctore habito nititur, lege Cornelia aqua, & igni interdicitur.* Nec relevat quod de constitutionibus Consultus loquatur; nam hunc Textum ad dictam legem qui nomine Dionysii Gothofredus refert, in qua de litteris nomine Prætoris, falsò editis agitur. Aqua & ignis interdictionis pœna ab usu exclusa successit ejus loco, deportatio, ut ait Ulpianus in lege 2. §. 1. ff. de pan. & explicat Brissonius

lib. 5. de formul. & ex Practicis Clarus in §. fin. questione 67. numero 6. Farinacius questione 19. numero 20. Cabal. casu 103. numero 2. & 3. Ob quod in dicta lege 1. §. fin. ff. ad legem Corneliam de falsis, libero homini pœna deportationis imponitur; servo autem capitalis, vel quia aqua & ignis interdicio capitali pœnæ æquiparetur; nam Romani qui carnificum sævitiam in liberos detestabantur, ea pœna Rempublicam purgare malis hominibus in usu habuerunt, ut tradit Budæus in poster. not. ad paudeff. in leg. 2. §. 1. ff. de pan. & refert Cabal. ubi proxime, numero 1. Cum autem Imperator Alexander in dicta lege 4. Cod. eodem titulo, rescripserit majorem severitatem exigere, qui falsis rescriptionibus utitur, capitalem pœnam intellexisse est dicendum; nam ultra mortem civilem, qualis est aqua, & ignis interdicio, vel deportatio cum bonorum publicatione, nulla pœna severior reperiri potest, nisi mortis naturalis, leg. capitalium, in princip. ff. de pan. cum aliis adductis per Farinacium dicta questione 19. n. 1. & 10.

Neque mirum videri potest, quia crimen falsi ex se capitale est, ut probat Textus in leg. falsi §. Codice eodem, ibi: *Falsi quidem crimen, vel aliud capitale;* ubi Dionysius Gothofredus scite dixit: *Falsi crimen capitale hoc ex loco colligitur.* Quod amplius comprobatur ex lege 51. Romuli, quæ falsum testimonium dicentem è saxo tarpeio præcipitandum iusserat, quod à Græcis mutuatum Balduinus in eadem lege 51. numero 5; tradit: & negari non potest falsi testimonii crimen sub lege Cornelia comprehendit leg. eo 27. §. 1. ff. ad legem Corneliam de falsi. In quo Text. §. fin. qui altioris ordinis insignia usurpaverit, ultimi supplicii pœna puniendus venit, Partum supponentes falsum expressè committunt, & pœna capitali puniuntur, ut docet Paulus in leg. qui falsam 19. §. 1. ff. hoc titulo, & Imperatores in leg. 1. Cod. eodem. Ex magnitudine falsitatis commissa capitalis pœna irrogatur, rescripsit Constantinus in lege ubi falsi 22. Codice eodem. Falsæ monetæ delictum, ultimi supplicii, per ignem, animadversionem exigit, l. lege Cornelia 9. in princip. ff. eod. yuncta l. 2. Cod. hoc titulo. Immunitatis concessæ falsæ attestatio ignis morte plectitur per leg. 1. Cod.

Cod. de immunit. nemin. conced. libro 10. Et sic apud plures gentes Tabelliones instrumenta publica falsò fabricantes pœna capitali plectuntur, ut tradunt Lucas de Pœna in leg. si quis, numero 6. Codice ut nemo ad su. Patr. Jul. Clarus, in §. falsum, numero 17. Petrus Gregor. syntagn. libro 36. capite 5. numero 2. in fin. Muscatell. in prax. rub. de fals. numero 49. Salernit. decision. 27. per totam, Grammat. decision. 27. numero 1. Antonius Faber in Codic. libro 9. titulo 13. de fin. 2. num. 6. Joannes Bapt. de Thoro in compend. decision. 10. 3. verb. falsificans provisiones. Quorum plures de falsificanti-bus acta iudicii, vel mandata iudicum tractant.

De jure nostro hæc absque dubio procedere videntur. Primum per Textum in leg. 1. titulo 12. libro 4. for. legum ibi: *si el escrivano publico que es dado para hacer las cartas, asi como la Ley manda ficere carta falsa en pleito de cien maravedis aiuso, pierda la mano, y el officio, y si fuere de cien maravedis o dende arriba muera por ello.* Quo in Textu noster Alphonfus expressè cavet de Tabellione, sive Actuario causarum, qui in lite falsum fecerit, & pœnam imponit, ita ut si lis æstimationem centum maravetinetorum non attingat amputationis manus, & privationis officii pœnam subeat: si autem excedat, morte mul-teatur. Et intelligi Textus debet de maravetinis aureis qui tempore Alphonfi Legislatoris in usu habebantur, ut tradit Dominus Covarruvias lib. 1. Var. capite 11. numero 4. In hec enim Textu Montalvus gloss. muera por ello, sic ait: *hodie per hoc jus aggravatur pœna arbitraria modo predicto.* Padilla in summa legum penaliu. parte 1. capite 21. numero 7. de Tabellione publico in gravioribus falsum patrans tenuit, quod pœna capitali, & amissionis bonorum tenetur, Pichardus in §. item lex Cornelia de falsis, numero 4. idem tenuit in Tabellione Regiæ cameræ, aut Curiæ, quod de jure cautum reperitur: nam dict. leg. 1. contemplatur magnitudinem falsitatis commissa, & ex magnitudine pœna capitalis imponitur per Text. in dict. leg. ubi falsi, ut expressè tene-runt Capicius decis. 130. in tertio dubio, numero 21. Boërius dict. decision. 82. numero 8. & 9. Baiard. ad Clar. in §. falsum, numero 249. Afflicti dict. decision.

404. numero 17. vers. secundo responderetur, Farinacius dict. questione 150. numero 24. Petrus Caballus dict. cas. 165. numero 11. Carpov. dict. questione 93. numero 19. cum aliis relatis contr. preced. numero 12. Neque omittendus Dominus Larrea qui allegat. 97. numero 11. pœnam capitalem impositam ex falsitate actorum iudicii tenuit ex d. leg. ubi falsi. Cum autem reus de quo agimus falsitatem commiserit in re magni momenti, plusquam centum maravetinos aureos contrectando mediantibus falsitatis ab ipso confectis, pœna capitali secundum dict. leg. 1. teneri concludatur.

Secundo per Textum, in leg. fin. in 17. prin. titulo 19. part. 3. ibi: *falsedad. faciendo escrivano de la Corte del Rey en Carta, o en privilegio deve morir por ello.* Quem Textum ad rem exponit Pichardus in d. §. item lex Cornelia de falsis, numero 4. his verbis: *Quod si rex camera, aut curiæ Tabellio falsitatem commiserit pœna mortis plectitur.* Et ratio est, nam cum officium Tabellionis in Curia Regis majus reputetur, ac in cæteris civitatibus, vel oppidis Regni, & plus puniri debeat, qui in loco ubi adest Rex delinquit, quam in alio remoto ab ejus presentia, ut probat Textus in l. 2. titulo 16. part. 2. ibi: *deven haver pena los facedores segund los lugares en que fueren fechos: mas cerca del Rey o mas alue-ñe.* Idem probat Textus in leg. 8. titulo 31. part. 7. inde delinquens iste reus in officio gravius puniendus erat, ut probant pluribus Caballus cas. 99. numero 56. Thoro in decision. 27. Salerni, numero 2. per Text. in l. quadam delicta, ff. de pan. Cum enim in hoc reo concurrerent qualitates publici Tabellionis, quia erat de numero scribarum in Curia Regis, quælibet falsitas ab eo commissa pœna acerba ultimi supplicii puniri potuit, & debuit.

Quibus addi poterat, quod commiserat furtum magnæ quantitatis pecuniarum: nam triginta millia regalium monetæ arosæ, & amplius contrectata erant, in usus proprios conversa, insciis creditoribus, ad quos pertinebant, & in damnum ipsorum, quod verè furtum est, ut probat Textus in leg. si pignore 54. §. ex quo, ff. de furt. bene Salernit. in d. decis. 27. ex num. 5. Farin. quest. 170. n. 6. & 36. Et licet ratione primi furti ne-

mo possit pœna capitis plecti, ut dixi *contro. 36. numer. 4. & 5.* quando furtum est magnum, ita ut quantitas furta æquivalcat tribus furtis, absque dubio pœna capitalis imponi potest, argumeto Text. in l. is qui tres, §. fin. ff. de excusat. tutor. pluribus Ant. Gomez in tom. 3. Var. cap. 5. numer. 7. Cantero in quest. crimin. titulo de furtis capite 8. numero 10. Farinacius questione 167. numero 74. Tufchus litt. F. concl. 564. numero 46. Cavallos comm. contra com. questione 741. Molin. de just. & jur. tom. 3. disput. 695. n. 9. Quelada in suis questionib. c. 19. per tot. Azevedo in l. 7. tit. 11. lib. 8. recop. n. 103. Gutier. in pract. crim. q. 154. n. 50.

22 Ayllon ad Gomez d. c. 5. n. 8. Et licet, ut ait, furtum magnum sit, remanet in arbitrio iudicis, Text. in l. 17. tit. 14. part. 7. ubi Dominus Gregor. Azevedo in d. l. 7. n. 104. in nostra specie dubitari non poterat, quod furtum maximum erat, nam trium millium ducatorum summam superabat; si enim contrectatio sacchari valore furtum quindecim ducatorum attingens apud Neapolitanos Iudices sufficiens quantitas, visa fuit ad imponendam pœnam ultimi supplicii, ut refert Salernitanus dict. decision. 7. numero 1. apud Germanos furtum quinque solidorum aureorum capite punitur, ut tradunt Berlich. tom. 4. conclus. 43. numero 12. Carpvovius in pract. crimin. 2. parte, questione 77. numero 7. apud Valentinos si summam mille regalium argenteorum (nam hoc est centum librarum) attigerit, ut dixi tom. 2. de regim. Val. cap. 8. §. 8. numero 17. quando quælibet ex his summis ita exceditur, magnum furtum reputari potuit, & debuit ac per consequens ultimo supplicio puniri.

23 Sed nihilominus mitior sententia amplexa fuit. Primò quia per Textum in dict. leg. qui nomine 25. non imponitur pœna mortis ex fabricatione, vel usu falsarum literarum nomine Prætoris, sed solum dicitur quod reus sit legis Cornelie de falsis, cuius pœna libero homine est deportatio, juxta Textum in dict. leg. 1. §. fin. ff. eod. ut omnes Doctores tenent, & sic cum ejus loco hodie suffecta reperitur relegatio ad regias tritemes, vel ad Arces Afras juxta personarum, & factorum qualitatem, ea tantum pœna teneri comperum est. Neque dispositio Textus in d. l. majorem, Cod. eod. tit. nostræ spe-

ciei adaptabatur. Nam Imperator majorem severitatem indixit utentibus falsis rescriptis, hoc est falsis Principis rescriptis, explicat Baldus in eodem Text. num. 1. ibi: plus punitur utens falso rescripto quam si uteretur alio simplici instrumento. Quia rescriptum est responsio facta per summum Pontificem, aut supremum Principem, superiorem non recognoscentem, ut constat ex Rubricis & tot. tit. in decretalibus. & lib. 6. de rescriptis, & in C. de divers. rescriptis, ubi communiter Doctores, signanter Barbosa, Cujacius & Andreas Vallensis in paratit. Ant. Fab. in Cod. lib. 1. tit. 12. defm. 1. & 2. cum sequentibus. ex posttribus Didacus Perez in l. 3. tit. 12. lib. 3. ordin. glof. Quoniam materia rescriptorum. Quare merito majorem severitatem indixit, nam falsitas rescriptorum capitali pœna punitur, ex d. l. majorem, ut pluribus probat Farin. quest. 151. num. 1. 15. & 66. c. ad falsariorum de crim. falsi, & ibi communiter Doctores, quorum plures adducit Barbosa in collect. d. Text. numero 9. de jure Hispano Text. in dict. leg. final. titulo 19. part. 3. in princip. & in leg. 6. titulo 7. part. 7. leg. 2. titulo 12. libro 4. for. leg. 1. 3. titulo 6. lib. 8. Ordin. l. 3. tit. 17. lib. 8. recopit. ubi Dominus Greg. Lopez, Montalvus, Didacus Perez & latius cæteris Azevedo Text. d. l. 3. tit. 29. part. 3. in contrarium adducta, non loquitur de Tabellione actu iudicii, vel mandata Prætoris falsificante, sed de famulo à secretis Principis ejus privilegia, vel rescripta falsò conficiente, ut habetur in eod. Text. ibi: en carta o privilegio, sicut exponit Dominus Gregorius Lopez ibid. glof. 1. imò in eodem Textu dum de Tabellione urbis vel oppidi verbum instituit, sic Alphonsus ait: *E si el escrivano de ciudad, o de villa ficieren alguna carta falsa, o ficieren alguna falsedad en juizio, en los pleitos que le mandaron escrivar, deven le cortar la mano conque la fizo, e darle por malo.* Quæ omnia clarius continentur in d. leg. 6. titulo 7. part. 7. Ita ut pœna Tabellionis de numero, falsum in actis litis facientis sit amputationis manus, & infamie. Et cum hæc dispositio posterior sit ac contenta in dict. leg. 1. titulo 12. libro 4. for. (Nam illas leges fori legum fecerat idem Alphonsus Decimus, cognomento Sapiens antequam septem Partitarum opus mirabile

bile compilasset, ut testantur Reges Catholici Ferdinandus & Elisabeth. in proem. Ordinationi, & tradit Dominus Solorzano, verba illorum referendo, Emblem. 68. numero 13. & 14.) derogatoria est illius capit. 1. de constitut. in 6. leg. sed. & posteriores 28. in fin. ff. de legibus Barbosa in proem. decretal. numero 46. Et sic pœna Tabellionis acta falsificantis de jure Hispano est amputationis manus, & infamie, juxta dict. leg. 6. Sed quia inhumana pœna hujusmodi amputationis visa fuit, & reipublice nociva esse possit, quia pœnarum finis est ut reipublice, & delinquentibus medeatur, & non rectè medetur qui manum, vel pedem amputat: cum ex inopia, vel desidia pleraque mala nascantur, ut prudenter notat Antonius Matth. libro 47. ff. titulo 1. capite 2. numero 5. ad fin. inde arbitrium est concessum per legem nostram commutandi pœnas, quoties rationabiliter fieri potest, ut habetur in leg. 4. titulo 24. & in l. 8. titulo 11. libro 8. recopit. & utrobique Azevedo, de quo late controvers. 21. numero 34. cum seq. quo similis pœna commutari solet in exilium, quæ loco deportationis successit, ut probat Dominus Larrea allegat. 97. in prin. & si falsitas fuerit magna, ut qualificata, in relegatione ad tritemes, flagellis superadditis, si qualitas facti requiratur. Quam moderationem imponendi pœnam extraordinariam Tabellionibus, circa mortem, communiter receptam videmus, ut testantur Grammaticus d. decis. 27. num. 9. & 10. Boët. d. decis. 82. num. 6. Guid. Pape decis. 455. in fin. Idem Grammaticus in consil. qui literas numero 3. & 28. & vot. crim. 25. numero 10. Bajar. ad Clar. d. §. falsum. numero 187. Carter. in prax. crim. tit. de appell. cas. 16. numero 15. Mar. Ital. de immunit. libro 1. capite 5. §. 7. num. 43. Ut sit. decis. 404. numero 1. Farin. quest. 155. numero 10. cum seqq. Cabal. cas. 206. numero 2. Joannes Baptista de Thoro in addit. ad decis. 27. Salernit. numero 5. & in compend. decis. tom. 1. verbo falsificans acta, & verbo falsificans literas. Antonius Matth. libro 48. ff. titulo 7. capite 2. numero 2. Carpvovius d. c. questione 93. numero 24. & 63. apud quos plures alios repetitis.

33 Neque obstant in contrarium allegata, quia ex prædictis plena satisfactio resultat ad Text. in leg. majorem, C. hoc

tit. & ad h. fin. ff. eodem; quia loquuntur de falsificantibus rescripta, & constitutiones principum. Et ad leg. fin. tit. 19. part. 3. ex eadem ratione, & ad d. l. 1. tit. 12. lib. 4. for. leg. quia derogata ejus dispositio fuit: & quamquam replicari poterat, quod lex anterior loquens distindè, non tollitur per posteriorem non distinguentem, ut aliis relatis tradit Barbosa in d. proem. numero 45. Facilis est responsio, quia benignior interpretatio recepta est, ex communi curiam stylo, quæ consuevendo est optima legum interpres, ut probat Text. in leg. sed. & ca. 35. cum duob. sequentibus. ff. de legibus Neque ex eo quod crimen falsi capitale fiat in casibus adductis, sequi potest quod semper capitale sit: imò ex se pœnam ordinariam obtinet, quæ est deportationis, ut habetur in d. l. 1. §. fin. quod faceret Baldus in d. l. 51. Romuli, numero 10. in fin. & apud nos manus amputationis, ut cautum habemus in d. l. fin. & d. l. 6.

Neque ea quæ dicebantur de magnitudine dampni subsecuti ex falso, vel furto, aut patris in officio concluderent pœnam capitalem imponendam, sed statutam per leges aggravandam juxta iudicantis arbitrium, qui inspectis personarum, facti atque loci qualitatibus pœnam augeat, vel minuat, prout æquum existimaverit: & sic cum dampnum creditibus statim refoctum fuisset, & de corpore mandatorum iudicis falso confectorum apparere non posset, neque constare aliter quam per relationem depositarii: & liberatio verè facta per iudicem fuisset, extra ordinem plectendum Aulia censuit, preta Salernitani decisionis, tanquam communiter reprobata, ut apparet ex traditis per Grammaticum & Thoro ubi proxime. Cæterorum verò Regnorum leges, aut statuta, quia nullius momenti sunt extantibus legibus nostris, quæ speciem hanc in terminis decidunt, ut ex dictis clare resultat.

In secundo dubio, Textus est manifestus in leg. si quis decurio 21. Codice eodem titulo, ibi: *si quis decurio testamentum, vel codicillos, aut aliquam deficientis scripserit voluntatem, vel confectis publicis, privatisque instrumentis præberit officium, si falsi questio, morietur, decurionatus honore seposito, questio: ut, si ita poposcerit causa sabatur.* ibi:

ibi: nec factus decurio defendi hac poterit dignitate. Quae in crimine falsi statuta sunt; pariter in perjurio procedunt

98 Textus in leg. quotiens 17. Codice de dignitat. libro 11. ibi: in criminalibus vero negotiis, dignitate quoque, qua se per suum perjurium indignos esse probaverint, spolientur. Per falsi namque crimen nobilitatis, aut dignitatis privilegia amittuntur. Ut docent Bartol. in dict. leg. quotiens; Lucas de Penna in leg. mulieres, coll. 4. vers. ultimo nota, Codice eod. tit. de dignit. libro 12. Tiraquel. de nobilit. capite 20. numero 121. Menoch. de arbit. cas. 306. numero 13. Farinacius d. questione 150. numero 15. Afflict. decision. 404. numero 27. Peguer. dist. decision. 80. numero 3. Caball. d. cas. 165. numero 1. & cas. 200. numero 156. Ansfald. conf. 124. numero 9. & Consil. 138. numero 310. Ob quod licet regulariter nobiles, & in dignitate constituti non torqueantur, Textus in leg. milites, Cod. de quest. l. 2. a divo Marco, ff. eod. l. 5. §. 1. ff. de re milit. leg. final. Codice de decur. libro 10. leg. suarum, Codice de dignit. lib. 12. leg. Presbyteri, Cod. de Episc. & cler. c. nobilis 2. questione 5. capite 1. de purgat. Canon. pluribus Farinacius questione 41. numero 74. De jure nostro Text. in l. 2. titulo 30. part. 7. l. 4. titulo 2. libro 4. Ordin. l. 4. & 5. titulo 6. libro 4. recopil. Ubi D. Gregor. Lopez, Didacus Perez; & Azvedo Antonius Gomez tom. 3. capite 13. num. 3. & ibi Ayllon plures referens, Vela de delictis parte 2. capite 9. numero 13. & 24. Tamen in crimine falsi omnes questionibus subiciuntur, d. leg. si quis decurio, & d. l. 2. titulo 30. parte 7. in fin. ibi: Pero decimos que si alguno de los consejeros sobre dichos orrises fido escribano del Rey; o de algun conceso e le acusasen despues de alguna carta falsa que orrises fecho ante que llegasse a la honrra de ser consejero; que bien lo pueden poner a tormento. Docent Dominus Gregorius Lopez ibi. gloss. 7. Otalora de nobilit. 5. parte principal. cap. ult. numero 4. Garcia in eod. tract. de nobil. gloss. 1. numero 9. Didacus Perez in d. leg. 4. Ordin. Grammat. vot. 3. numero 9. & vot. 25. numero 5. Farinacius d. questione 41. numero 56. & 57. Baiard. ad Clar. §. fin. quest. 64. numero 62. Guaz. defenf. 30. l. 18. numero 4. Cabal. dict. cas. 200. numero 256. Claz. discept. 5. numero 8. Antonius Faber in Cod. lib.

9. titulo 13. defn. 13. Et sic licet concedamus quod ex famularu Regina iste reus in aliquo honore esset constitutus, ut colligitur ex Text. in l. 14. tit. 9. part. 2. Cum crimen falsi exceptum sit, questionibus atque poena ignominiose subiciebatur. Sic definitur Aula: sed decretum Regium ab ignominiosa poena eum exemit, & condemnatus fuit ad relegationem in Arce Asra per decennium, & privationem officii sententia diei 9. Septembris 1665.



CONTROVERSIA XXXIX.

De Mercatore decocto, sive de eo qui fraudulenter foro cessit.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species describitur.
- 2 Decoctores qui dicantur in jure.
- 3 Eversores, sive interversores.
- 4 Decoquere, & intervertere idem est in jure.
- 5 Decoctores describuntur.
- 6 Alçados idiomate Hispano decoctores dicuntur.
- 7 Decoquere idem est, ac conturbare substantiam.
- 8 Foro cedere quid significet apud Jurisconsultos.
- 9 Fraudatores nuncupabantur cedentes foro.
- 10 Fraudatores poena coerebantur a Praetore.
- 11 Decoctores an lege 12. Tabularum creditoribus dissecandi traderentur.
- 12 Dilaniatio debitorum, non fiebat antiquitus per modum poena irrogata in judicio criminali.
- 13 Additi qui essent lege 12. Tabularum, vel decenvirali.
- 14 Dissecatio in executionem judicati fiebat lege permittente, si plures creditores erant, quibus debitor additus fuisset.
- 15 Dissecationis acerbitas abrogata fuit Consulari.
- 16 Additio quoad serviendum sublata non fuit jure Digestorum.
- 17 Lege Petilia cautum erat, quod debitor creditori serviret, quo usque illi abunde satisfactum fuisset.
- 18 Qua dispositio jure Digestorum permansit.

- 19 Creditor victum debitori addito non permitteas, tenebatur actione poenali in factum, vel injuriarum.
- 20 Imperatores hanc modum serviendi abrogarunt.
- 21 Jure Hispano additio debitoris statuta est, licet usus ab Aula recesserit.
- 22 Decoctores jure Digestorum non coerebantur judicio publico.
- 23 Decoctores eo jure poena criminis stellationatus puniebantur.
- 24 Poena criminis stellationatus de jure Digestorum.
- 25 Decoctores infamiae nota jure Digestorum afferebantur.
- 26 Lex Rolicia theatralis, decoctores tanquam maculosos tractabat.
- 27 Fraudatores infamiae notantur.
- 28 Hi quorum bona sua hasta distrahebantur, infamiae notam incurrebant.
- 29 Decoctores fraudulentum propter inhonestam vitam quarebantur, apud probos infamiae notantur.
- 30 Stellationatus crimen famosum censebatur.
- 31 Decoctores jure Codicis si pecunias publicas consumpserunt, relictis plumbatarum coerebantur.
- 32 Plumbatarum relictibus subiecti quod genus tormentorum dicebatur.
- 33 Decoctores pecunias privatas interceptantes, officio privantur.
- 34 Superaddita poena stellationatus, vel furis iuxta facti qualitates.
- 35 Decoctores de jure Hispano tanquam latrones publici puniendi.
- 36 Decoctoris poena includit capitale.
- 37 Decoctores poena capitali puniendos tanquam latrones publicos S. Pius P. Pontifex Summus statuit.
- 38 Decoctores ut poena ordinaria teneantur que concurrere debent.
- 39 Occultatio bonorum, & librorum necessaria omnino est, non autem persona, ut poena capitalis imponatur.
- 40 Occultatio librorum verificatur in exhibente libras adulteratas.
- 41 Decoctores deficiente probatione occultationis bonorum, aut librorum rationum, extraordinaria poena plebuntur.
- 42 Vendentes lintamina mercaturam exercent.
- 43 Mercatores proprie sunt, qui res venales emunt, ut statim vendant quas faciendi causa.
- 44 Mercatores ex nostris legibus libras

rationum habere compellantur.

45 Decisio Aula.

UNUS ex Lusitanis, qui lintamina vendere solent per vicus urbis, emerat mercēs a variis negotiatoribus, quibus instrumentis publicis, solvere in nummis argenteis, ad certam diem promiserat. Eo adveniente in domo ejusdam Magnatis latitando, abducis bonis, & libris non exhibitis, se receperat; & ex eo confugio iniquas conventiones cum creditoribus procurabat, & ab aliquibus obtinuerat, quod quantitas in nummis argenteis debita solveretur intra biccennium in nummis arosis, in quo jacturam ultra dimidiam illi, lucrum iste obtinebant. His sic stantibus, & causa decoctionis in Aula instituta, a confugio exiens captus fuit, & criminali judicio legitime conclusus, in quo neque fortuna jacturam, neque casus inopinati damnum probavit, immo comprobabatur vita ipsius: nam alex, Veneri, atque Baccho vacando, fortunas dilapidaverat. Dabitabatur qua poena esset plectendus.

Et supponendo in primis, quod non loquimur de decoctore, qui vitio fortuna foro cessit, sed de eo qui dolo, & culpa solvendo non est; suppono quod similes iniquissimi homines, qui sub negotiationis specie, bona aliena interceptant, pecunias consumunt, & substantiam cavillationibus extortam dilapidant, decoctores proprie dicuntur, Text. in leg. quilibet 40. Cod. de decurionibus lib. 10. leg. 2. Cod. de fund. rei privar. & leg. jure promissum 5. Cod. de Fabricas lib. 11. vel eversores, ut in leg. 2. Cod. de Palatin. sacrar. largit. lib. 10. aut interversores, sicut in leg. qui in contractibus 8. Cod. de jur. sig. dist. lib. 10. Quod idem est, nam decoquere, & intervertere promiscue in jure accipiuntur, ut rescipserunt Imperatores Arcadius & Honorius in leg. si aliquid 12. Cod. de susceptor. Praepos. & Arar. eod. lib. 10. ibi: Nemo eorum semel de interversione convictus, id rursus officium perat in quo ante decoxit, ut scite notant Dionysius Gotofredus in dict. leg. 2. Cod. de Palatin. sacrar. largit. & Cujacius in dicta lege, qui in contractibus. Nam Decoctores sunt qui pecuniam alienam, si ve aliorum substantias paulatim consumunt, sicut ignis coquendo, ut ex Bal-